



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1415.

vel occupantibus, bona verba saepe audiuius, sed postea conatus eorum percepimus pollicitis obuiantes: non quod istud de sanctissimo domino nostro cogitet nostra filialis deuotio, sed quia in-niti debemus, ne minima quidem macula schismatis ab aduersariis sibi posset impingi. Cognoscitis quantum sit periculum, in tra-tatu pacis ecclesiasticae papam a Concilio generali discedere; quan-tum nefas, ab eo dissidere. Propterea egregiam nationem veli-mus exoratum in Domino, ut in Concilio generali Constantiensi persistat, domino nostro ad Concilium generale redire persuadeat, ac vota & iuramenta domini nostri amplectentes, pacem eccle-siasticam, nulla subterfugiendo discrimina, prosequatur. Eam-dem nationem uestram praestantissimam tueatur summa aeter-nitas. Scriptum in congregatione nostra generali apud sanctum Bernardum super hoc specialiter celebrata, secunda die mensis Aprilis.

Subscriptio literae.

Beneuoli uestri rector & uniuersitas studii Parisiensis.

* Subscriptio praedictae literae.

* Super-
scriptio

Reuerendissimis in Christo patribus, archiepiscopis, episcopis, do-ctoribus, & aliis dominis Italicam nationem in sancta & uni-uersali Synodo Constantiensi representantibus.

SESSIO VII.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesi-mo decimoquinto, indictione octaua, & domini no-stri, domini Ioannis diuina prouidentia papae XXIII. an-no quinto, die Iouis secunda mensis Maii, fuit sessio ge-neralis in ecclesia Constantiensi maiori suprascripta, ad hoc deputata mane hora Tertiarum, in qua fuit serenissimus princeps Sigismundus rex Romanorum & Hungariae, &c. cum suis insigniis regalibus, & nobilibus in praedictis sibi seruiantibus, & in qua praesidebat reuerendissimus pa-ter dominus Ioannes episcopus Ostiensis, cardinalis Viua-riensis. Et domini, Angelus Laudensis & Jordanus de Vrsi-nis cardinales, ipsi domino regi nomine dictorum cardinalium assistebant. Et antequam aliquid fieret, more solito fuit cantata Missa de Spiritu sancto per reuerendum patrem domi-num Ioannem archiepisco- fuit officium litaniarum cum- pum Ragusinum: qua can- introitu, Exaudi nos Domi- tata, legebantur litaniae, & ne, &c. collectis & hymno, Concil. Tom. 29.

Nn

cetera, more aliarum sessionum, *Veni creator Spiritus, & aliis orationibus more aliarum sessionum, deuote dictum & cantatum.* Præsentibus ibidem reuerendissimis patribus, Blanda Placentino, Guilielmo sancti Marci, Landulpho Barenfi, Amadeo Salutarum, Ludouico de Flisco, & Francisco Florentino, cardinalibus, ultra alios tres cardinales * præsentibus & astantibus nominatos.

ANNO
CHRISTI
1413.

* al. præ-
sentibus
& astantibus

Quibus quidem peractis, procedendo ad vltiora, reuerendi patres, Pileus archiepiscopus Ianuensis ad legendum & publicandum quæ legenda & publicanda erant, ad approbanda ea per Concilium: ad approbandum vero eadem, Ioannes patriarcha Antiochenus pro natione Gallicana, Antonius episcopus Concordienfis pro natione Italica, Ioannes archiepiscopus Rigenfis pro natione Germanica, & Thomas Guillermus abbas sanctæ Mariæ extra muros Eboraci pro natione Anglicana, deputati per quatuor nationes, ascenderunt ambonem, siue locum, in quo publicationes, declarationes, ordinationes, siue sententiæ more ipsius Synodi legi & publicari solent, pro hac vice ad infra scripta publicanda, legenda, responsiones dandum, & ordinanda, per nationes quatuor prædictas deputati. Quibus dominis (ut præfertur) nomine Synodi ibidem existentibus, prouidi viri magistri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis de Placentia, tamquam promotores, instigatores, siue procuratores dictæ Synodi, ipso Henrico loquente, accusarunt contumaciam cuiusdam Hieronymi de Praga, alias citati, & non comparentis, neque in huiusmodi causa, quæ contra eum commissa exitit, super sibi obiiciendis, & materiæ fidei respondentis, siue in causa huiusmodi vltius, prout iuris fuerit procedere, procedique videre curantis, accusarunt: ipsumque contumacem reputari petierunt, & in eius contumaciam citationem alias contra eum decretam repetierunt, eamque cum eius executione facta in valuis certarum ecclesiarum ciuitatis Constantiensis factis, & in scriptis reduxerunt. Eundemque Hieronymum de Praga vltius citari mandare per audientiam publicam literarum contradictarum Romanæ curiæ, per sanctam Synodum instanter postularunt. Quam quidem citationem & vltiorem processum reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, tamquam præsidens, & tota Synodus, nemine discrepante, ipsi Henrico de Piro promotori, instigatori, syndico & procuratori id petenti concesserunt atque

decreuerunt, & eam ad proximam sessionem fieri voluerunt.

Quibus citatione & processu decretis, iidem magistri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis, nomine quo supra, exposuerunt, quantis periculis præsens schisma ecclesiam Dei lacerauit, & fidem catholicam non in modico diminuebat: quod tamen sperabatur extingui, & pax dari ecclesie per vota, promissiones & iuramenta domini Ioannis papæ XXIII. in præsentis Concilio Constantiensi facta; licet idem Ioannes papa in reprobum sensum datus, de loco Concilii & præsentis ciuitate Constantiensi, ut dictum schisma diutius nutriret & foueret, noctis tempore habitu transformato, in scandalum & vituperium totius ecclesie & fidei catholice siue orthodoxe diminutionem, fugiebat, se successiuis temporibus ad diuersa loca declinando, cum hoc omnia mala quæ dici & excogitari possint, committendo, prout hæc & alia in quadam papyri petitionum schedula, quam ibi in suis tenebat manibus, eamque de verbo ad verbum perlegit, plenius continentur. Quapropter ut provideatur de remedio opportuno, idem magister Henricus sibi citationem personalem per edictum contra dictum Ioannem papam XXIII. eiusque fautores, receptatores & sequaces, legitimam, & per simile edictum in Romana curia affigendum, per sanctam Synodum in Spiritu sancto legitime congregatam, decerni & concedi postulauit: & ulterius dari & decerni eidem Ioanni papæ ad comparendum, & aliis comparere volentibus, per eandem Synodum & illustrissimum regem Romanorum ibidem præsentem, prælibatum saluumconductum. Quos quidem saluumconductum & citationem reuerendi patres domini, patriarcha Antiochenus pro natione Gallica, Antonius episcopus Concordiensis pro natione Italica, Ioannes archiepiscopus Rigensis pro natione Germanica, & Thomas abbas sanctæ Mariæ extra muros Eboracenses pro natione Anglicana, præfati, loco quo supra iudiciali concesserunt & decreuerunt, videlicet ad nouem dies post executionem, ipsamque citationem fieri voluerunt in formam publici instrumenti cum subscriptionibus quatuor notariorum quatuor nationum, & sigillis quatuor prælatorum dictarum quatuor nationum muniri & corroborari. Serenissimus vero Romanorum rex præfatus dixit, quod placet, quod detur sibi saluumconductus nomine sui & Synodi, & ea protestatione, in quantum idem dominus rex tenetur sibi dare de iure & seruare sibi saluum conductum sibi datum, & non alius. Protestatione domini regis facta.

Concil. Tom. 29.

Nn ij

Henricus de Piro promotor Concilii, petiit decerni & concedi per ipsam Synodum citationem contra Ioannem papam & eius fautores, &c. Et ulterius eidem Ioanni papæ ad comparandum, & aliis comparere volentibus, per eandem Synodum, & illustrissimum Romanorum regem ibidem præsentem, saluumconductum concedi. Quibus concessis verbo per totam Synodum & Romanorum regem, dictus reuerendissimus pater dominus Pileus archiepiscopus Ianuensis legebat citationem decretam contra Ioannem papam & suos sequaces ac receptatores, huiusmodi sub tenore.

ANNO
CHRISTI
1411.

Tenor citationis contra Joannem papam XXIII.

Sacrosancta Constantiensis Synodus generale Concilium faciens, & ecclesiam catholicam representans, in Spiritu sancto legitime congregata, uniuersis Christi fidelibus unionem & pacem ecclesie, ac gaudium sempiternum.

Pridem post clandestinum recessum domini Ioannis papæ XXIII. ab hac ciuitate Constantiensi, & hoc sacro generali Concilio Constantiensi, vnionis & pacis ecclesie turbatiuum & impeditiuum, ipsamque etiam ecclesiam scandalizantem, per nonnullos prælatos & alios notabiles viros, ad eum ex parte huius sacri Concilii legatos transmisos, eundem requiri ac moneri fecimus cum debita instantia, quatenus ad ipsum sacrum Concilium, & ad hanc ciuitatem Constantiensem rediret, ea quæ pertinebant ad extirpationem præsentis schismatis, & reformationem ecclesie in capite & in membris faciendam, impleturus, & cum effectu facturus, sicut promiserat, vouerat, iurauerat, & in suis literis super conuocatione dicti Concilii concessis, se facturum publicauerat: & cum id facere nolle, facto, non redeundo, & ad loca magis longinqua fugiendo, ostenderet, fuimus per venerabiles viros magistrum Henricum de Piro licentiatum in decretis, & Ioannem de Scribanis de Placentia, causarum & negotiorum huius sacri Concilii promotores & procuratores, instantè requisiti, quatenus ipsum dominum Ioannem papam XXIII. criminibus hæresis, fautorie huius præsentis schismatis, simonie, mala administratione, notoria dilapi-

ANNO
CHRISTI
1455.

datione bonorum & iurium Romanæ ecclesiæ, & aliarum ecclesiarum, & aliis criminibus grauibus nedum infamatum, sed illis notorie in scandalum vniuersalis ecclesiæ irretitum, & in suis actibus & operibus, vita ac moribus notorie ecclesiam Dei scandalizantibus, incorrigibilem: qui sic (vt præmittitur) clandestine, de nocte, hora suspecta & habitu transformato, a dictis ciuitate & Concilio generali fugit & recessit, gregem dominicum vt mercenarius deserens, generalemque reformationem ecclesiæ & hæresum extirpationem, per dictum sacrum Concilium in capite & in membris faciendam, euitare cupiens: ad redeundum & reuertendum ad ciuitatem Constantiensem & hoc sacrum Concilium generale, debite compellere, & etiam ad hoc per edictum publicum in valuis ecclesiarum & aliorum locorum (vt est moris) affigendum, citare & euocare personaliter, citationemque super hoc in forma iuris decretam contra eum & eius fautores, receptatores & sequaces decernere & concedere, interdicta sibi exnunc omni alienatione, & alias in & super præmissis contra eos procedere dignemur, prout requirunt canonica sanctiones. Nos autem considerantes petitionem huiusmodi rationabilem, iustam & consonam iuri, indemnitati ecclesiæ vniuersalis & animarum periculis providere volentes, & nulli in exhibendo iustitiam deficere (sicuti nec debemus) intendentes, in causa & causis & negotio huiusmodi rite & mature procedere, ac dante Domino iustitiam ministrare, vt tenemur, inquisitione super infamia prius per nos diligenti præhabita: considerantesque quod ad locum ad quem idem dominus Ioannes papa sic discedendo, imo verius fugiendo, contumaciter accessit, & residere dicitur de præfenti, eiusque domicilium, siue hospitium, pro huiusmodi citatione exequenda minime tute adiri posse, nec ad eum, seu propinquiorem locum, quam ad hanc ciuitatem Constantiensem haberi possit tutus accessus, auctoritate Christi ecclesiæ præfate veri sponsi, qua fungimur in hac parte, per hoc præfens publicum edictum in sessione publica dicti sacri Concilii, nec non in audientia publica literarum contradictarum more Romanæ curiæ solito legendum, ac valuis, seu portis loci audientie sacri causarum palatii apostolici,

nec non palatii apostolici, siue domus episcopalis Constantiensis, vbi dictus D. Ioannes papa, dum in præsentia ciuitate Constantiensi habitabat, habitare solebat, maiorisque & sancti Stephani huius ciuitatis Constantiensis ecclesiarum, & ipsius ciuitatis ianuis affigendum & affixum, per certum temporis interuallum dimittendum, præfatum D. Ioannem papam XXIII. principalem, eiusque in dictis criminibus fautores, receptatores & sequaces suprascriptos, ac omnes alios & singulos sua sic per hoc interesse credentes, citandos esse decreuimus, & tenore præsentium peremptorie citamus ac citari volumus, decreuimus & mandamus, quatenus hinc ad nouem dies proxime venturos a die executionis huiusmodi nostræ citationis, sic (vt præmittitur) legendæ, affigendæ, publicandæ & exequendæ in antea proxime computandos, quos pro peremptorio termino & citatione canonica peremptorie assignamus per præsentem, ipse D. Ioannes papa ad præsentem ciuitatem Constantiã & hoc sacrum Concilium in propria persona redeat & reuertatur: ipseque & sui fautores, receptatores & sequaces, personaliter compareant in eorum propriis personis Constantiæ in prima generali sessione publicâ huius sacri Concilii, post elapsum terminum prædictorum nouem dierum, a præfata præsentium literarum sic (vt præfertur) fienda publicatione & executione in maiori ecclesia Constantiensi immediate celebranda, visuri & audituri per nos ordinari, decerni & declarari, dictum suum clandestinum recessum fuisse & esse ecclesiæ Dei damnosum, scandalosum & opprobriosum, ac vnionis & pacis eiusdem ecclesiæ perturbatum, nociuum, impeditiuum, ac huius nefandissimi schismatis nutritiuum & roboratiuum, hæresisque & suspicionis fidei incentiuum, ac a bono vnionis & pacis ecclesiæ præfate, promissionibusque, iuramentis & votis per ipsum Ioannem papam super hoc factis & promissis deuiatiuum. Testesque super notorietate dictorum criminum ad finem procedendi contra eum super illis, tamquam super notoriis iurare & admittere, causasque, cur idem D. Ioannes papa non debeat suspendi a totali administratione papatus propter malam & scandalosam administrationem, & notoriam dilapidationem, dicturi: & alias, in

ANNO
CHRISTI
1445.

& super præmissis, & aliis vniuersalem ecclesiam notorie scandalizantibus contra eum ad eiectionem a papatu, seu eiectionis huiusmodi declarationem, & aliis per supradictos promotores propositis & proponendis, de iure & iustitia responsuri, causasque, quod non debeat suspendi a totali administratione, ac alias in causa & causis & negotio huiusmodi debite processuri, ac procedi visuri, aliasque dicturi, facturi & audituri, vt iuris fuerit & rationis, indeque super præmissis iustitiæ complementum vsque ad sententiam diffinitiuam inclusue recepturi: certificantes nihilo minus eundem D. Ioannem papam & suos sequaces, acceptatores & fautores sic citandos, quod siue in dicto citationis huiusmodi termino comparuerint, siue non, ad præmissa omnia & singula, ad vltiora, & alias (vt iustum fuerit) contra eos per nos debite procedetur, iustitia mediante, ipsorum absentia, seu contumacia non obstante. Loca vero sessionis præfatæ audientiæ publicæ, literarum contradictarum, & portarum palatii ecclesiarum, & locorum prædictorum, tamquam publica & idonea ad huiusmodi citationem publicandam & exequendam duximus eligenda, quæ præsentem citationem ad instar edictorum publicorum, quæ olim in albo prætoris scribebantur, suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt. In quibus huiusmodi citationem modo & forma præmissis decreuimus, & tenore præsentium decernimus publicandam & exequendam, ne præfatus dominus Ioannes & sui fautores, & receptatores, & sequaces sic citandi, possint seu valeant de præmissis aliquam ignorantiam causam prætere, seu etiam allegare. Cumque non sit verisimile, apud ipsos sic citatos incognitum remanere illud, quod tam patenter & notorie omnibus extitit publicatum, volentes nihilo minus, & auctoritate prædicta decernentes, quod hæc præsens citatio modo & forma præmissis executâ, prænominatos dominum Ioannem & suos sequaces, receptatores & fautores sic citatos, totaliter arceat & adstringat, & perinde valeat, tantamque habeat roboris firmitatem, ac si ipsimet D. Ioannes & sui fautores, receptatores & sequaces in eorum propriis personis citati & apprehensi fuissent, & eis huiusmodi citatio præsentialiter lecta, publicata & intima-

ta fuisset : & ne dictus dominus Ioannes papa & sui sequaces valeant aliquo modo se excusare , quo minus iuxta præmissum terminum compareant, vt præfertur, quamquam ad hoc non teneamur, nihilo minus ex superabundanti eidem domino Ioanni & sequacibus damus, & tenore præsentium concedimus tutum & liberum saluumconductum, ad veniendum ad hanc ciuitatem Constantiensem & sacratissimam Synodum, ita quod in accessu nullum debeat & possit habere impedimentum, & etiam in ciuitate stare, manere libere & secure : iustitia tamen semper salua, prædictum etiam saluumconductum sub eadem forma fieri & concedi fecimus prædicto domino Ioanni papæ & sequacibus eius, a serenissimo Romanorum & Hungariæ rege. De publicatione vero, lectura, affixione & executione, ac saluumconductus præstatione, datione & concessione præmissis, modo præmissis fiendis, volumus, decernimus & ordinamus vnum & plura, publicum & publica fieri & confici instrumentum & instrumenta, quæ nobis plenariam faciant fidem de eisdem. In quorum fidem & testimonium præmissorum, præsentis literas citatorias super hoc solenniter decretas fieri fecimus, & propriis sigillis præfidentium quatuor nationum huius sacri Concilii iussimus & fecimus communiri.

Datum Constantiæ prouinciæ Moguntinensis in sessione publica in ecclesia maiori Constantiensi solenniter celebrata, die Iouis secunda mensis Maii, indictione vero octaua, anno Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, pontificatus præfati domini Ioannis papæ XXIII. anno quinto.

Præsentibus ibidem illustribus principibus, Rodulpho duce Silesiæ, Friderico burgrauio Nurembergensi, Ioanne Jacobo filio marchionis Montisferrati, Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, & Sigismundo de Bessantz milite de Hungaria, & alia multitudine Christianorum copiosa, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Super quibus omnibus & singulis idem Henricus de Piro, & Joannes de Scribanis, ipso Henrico loquente, a reuerendis patribus sedis apostolicæ protonotariis ac notariis nationum & Concilii, ceterisque tabellionibus, nominibus quibus supra, sibi fieri petierunt

ANNO CHRISTI 1415.
 tierunt unum vel plura, publicum vel publica, instrumentum seu instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus principibus supradictis, ceterisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

Tenor vero executionis citationis contra Hieronymum de Praga, de qua supra fit mentio, sequitur, & est talis.

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octaua, die vero decima octaua mensis Aprilis, hora Primarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, D. Ioannis diuina prouidentia papæ XXIII. anno v. Constantiæ infra septa monasterii sancti Francisci fratrum Minorum prope ambitum, in mei notarii publici infra scripti, testiumque præsentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, constitutus personaliter honorabilis vir dominus Michael de Broda Teutonicali, plebanus ecclesiæ sancti Alberti sub sedras Pragensis, instigator officii contra Joannem Hus ac suos complices, ad hoc specialiter deputatus, habens & tenens in manibus suis quamdam in papyro conscriptam citationem in se continentem contra quemdam Hieronymum de Praga, magistrum quamplurium studiorum se asserentem, a sacro Concilio Constantiensi emanatam, & quatuor sigillis præsentium quatuor nationum abintra impressis sigillatam. Cuius quidem literæ tenor sequitur per omnia in iis verbis.

Sacro sancta Synodus Constantiensis, &c. prout superius est habitum. Quam quidem literam citationis idem dominus Michael animo exequendi, notificandi & publicandi, prout tenebatur, ac ad uniuersorum Christi fidelium notitiam deducendi, ualuis, seu portis in ambitu dicti monasterii affixit, & extendit ibidem cum magna multitudine hominum utriusque sexus infra Missarum solennia, & præsertim infra publicum officium, quod tunc in dicto monasterio celebrabatur, usque ad finem dicti officii stare permisit, præsentibus honorabilibus uiris dominis, Ioanne præposito Quinqueecclesiarum, Ioanne & Petro familiaribus suis testibus ad præmissa uocatis specialiter & rogatis. Et statim post præfatus dominus Michael citationem consimilem tenoris supra scripti, & sigillis (ut præscribitur) sigillatam ad ualuas ecclesiæ sancti Stephani pro audientia causarum apostolica deputatæ affi-

Concil. Tom. 29. ○○

xit & extendit, & ibidem infra Missarum solennia, praesertim infra publicum officium quod tunc in dicta ecclesia celebrabatur, usque ad finem dicti officii stare permisit, praesentibus testibus supra dictis. Et statim post profatus dominus Michael consimilem citationem tenoris supra scripti ad valvas ecclesiae beatæ Mariæ virginis Maioris Constantiensis affixit, & extensam ibidem infra Missarum solennia, & praesertim infra publicum officium quod tunc in dicta ecclesia celebrabatur, stare permisit, praesentibus ibidem venerabilibus & discretis viris, Vuilhelmo Picardi licentiatum in decretis, archipresbytero Turonensi, & Friderico Rese cursore domini nostri papæ, & aliis quampluribus testibus ad praemissa vocatis & rogatis. Tandem vero hora sexta, vel quasi, praefatus dominus Michael citationes huiusmodi ab eisdem valuis seu portis, finitis & peractis dictis Missarum & officiorum solenniis, debita cum protestatione remouit & deposuit, & ad se recepit. Super quibus omnibus & singulis praefatus dominus Michael petiit sibi per me notarium publicum infra scriptum fieri & confici unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta, praesentibus ibidem venerabilibus & discretis viris dominis, Laurentio plebano ecclesiae sanctæ Mariæ Magdalænæ Pragensis, Georgio de Vualschin, & Paulo de Herlbotz Pragensis diocesis supradictæ, & quampluribus aliis testibus ad praemissa vocatis pariter & rogatis.

Et ego Ioannes de Selichin de Lansteyn clericus Treuerensis diocesis, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus notarius, quia praedictis requisitioni, publicationi, affixioni, depositioni, nec non omnibus aliis & singulis supradictis, dum sic (ut praemittitur) successiue fierent & agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui: ideoque hoc praesens publicum instrumentum per alium fideliter scriptum, exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi, rogatus & requisitus in omnium & singulorum praemissorum fidem & testimonium.

Quibus omnibus, ut praemittitur, peractis, idem dominus archiepiscopus Ianuensis requisivit a tota Synodo, an placeret sibi, quod die Sabbati proximi, quæ erit proxima dies mensis Maii, debeat teneri sessio in materia fidei, videlicet super condemnatione memoriæ Ioannis Vuicleff. Et fuit responsum per omnes de Synodo, Placet, praesentibus supradictis testibus. Et sic omnes domini de Synodo recesserunt.

ANNO
CHRISTI
1415.

Statim post & ante prandium de mandato quatuor præfidentium quatuor nationum, in ecclesia sancti Stephani Constantiensi, & in banco audientiæ literarum contradictarum, reuerendo patre domino Iacobo de Camplo electo Pennensi, locum tenente auditorum audientiæ contradictarum, ibidem ad bancum sedente, ad horam illam pro audientia contradictarum, & actum infra scriptum faciendum deputato, præsentibus reuerendissimis patribus dominis Ioanne patriarcha Antiocheno, & Ioanne archiepiscopo Rigensi, de mandato eiusdem domini Iacobi locum tenentis, venerabilis vir dominus Nicolaus de Hubancho lector literarum de iustitia, & aliarum quæ inibi legi solent, legebat, & executus fuit citationem supra proximam per sanctam Synodum decretam ad instantiam magistri Henrici de Piro promotoris & instigatoris dicti Concilii. Quæ lecta & executata, idem Henricus petiit sibi fieri de huiusmodi lectura & publicatione publicum instrumentum, præsentibus ibidem magistris Henrico Goltbardi, Joanne de Vonrade, notariis publicis, & domino Petro Vuithoge presbytero, Moguntinensis, Leodiensis & Traiectensis diocesum, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

SESSIO VIII.

DIE Sabbati quarta mensis Maii prædicti fuit sessio generalis in cathedrali ecclesia Constantiensi supra dicta, in qua more solito fuit dictum officium Missæ per reuerendissimum in Christo patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum de beata Virgine. Quo officio completo, legebantur litanix, vt in sessionibus fieri consuetum est, cum euangelio, dicto & cantato, fuit cantatus *Attendite a falsis prophetis*, introitus, *Exaudi nos Domine*, &c. In sessione inter cardinales præsidebat dominus *&c. cum collectis suis & litanis,* Ioannes episcopus Ostiensis *ac euangelio,* *Attendite a falsis* cardinalis Viuariensis. In *prophetis, &c. & aliis orationibus,* ac hymno, *Veni creator Spiritus, sicut in aliis sessionibus.* In qua etiam sessione fuit serenissimus Romanorum & *cui inter cardinales astabant* Hungariæ rex, tamquam *domini Iordanus de Vrsinis, & Angelus Laudensis, Albanensis & Tusculanensis episcopi:* præsentibus ibidem reuerendissimis patribus *Vuilhelmo sancti Marci, Antonio de Salancho, Amadeo Salutarum, Ludouico de Flisco,*

Concil. Tom. 29.

O o ij